Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1843
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

trema scelera metuentes Rem vero p[ublicam] penitus amisimus
Atque in has clades incidimus Redeundum est ad propositum
dum metui quam cari esse et diligi maluimus que si popu
lo Romano iniuste imperanti accidere potuerunt quid
debent putare singuli . Quod cum perspicuum sit benivo
lencie vim esse magnam metus inbecillem sequitur ut
disseramus quibus rebus possimus facillime eam quam
volumus adipisci cum honore et fide caritatem Sed ea non pa
riter omnes egemus Nam ad cuiusque vitam institu
tam accomodandum est a multisne opus sit an satis
sit a paucis diligi Certum igitur hoc sit idque et primum
et maxime necessarium familiaritates habere fidas amantium
nos amicorum et nostra mirantium Hec enim est una res
prorsus ut non differat multum inter summos et me
diocres viros Eaque est utrisque propemodum comparanda
honore et gloria et benivolentia civium fortasseque non eque
omnes egent Sed tamen si cui hec suppetunt adiuvat
aliquantum tum ad cetera tum ad amicitias comparandas
Sed de amicitia alio libro dictum est qui inscribitur Le
lius Nunc dicamus de gloria quamquam ea quoque de re duo
sunt nostri libri Sed attingamus quandoquidem ea in rebus
maioribus administrandis adiuvat plurimum . Sum
ma igitur et perfecta gloria constat ex tribus his si di
ligit multitudo si fidem habet si cum admiratione
quadam honore dignos putet Hec autem si est simpliciter
breviterque dicendum quibus rebus pariuntur a singulis
eisdem fere a multitudine Sed est alius quoque quidem
aditus ad multitudinem ut in universorum animos tam